

si vir, n. 4. in principio, & in versiculo, Ex quibus patet, § n. 9. § n. 14. § 15. versiculo, cum verius sit, § n. 36. § 37. § 38. in versiculo, Non obstat secundum, ff. soluto matrimonio. Quam contrarietatem ut ego componam, & quam verior sententiam putem, declarem, nonnulla constituere necessarium duxi.

15 Et primò constituendum est, usufructuario negari non posse, quin in re fructuaria maximum jus Jureconfulti tribuerint, & verbis nimis generalibus, atque absolutis omnes fructus rei, omnes proventus, utilitates, atque obventiones concesserint, & quæcunque generaliter ex re, sive occasione rei percipi possint, ut constat ex juribus relatis, supra n. 11. & Authoribus adductis n. 12. quæ in hoc cavillari non possunt, nec adeò restringi (quicquid aliter contendat Barbosa in dicto §. si vir, n. 4.) ut dum dicunt, quòd quicquid in fundo nascitur, & quicquid inde percipi potest, ad fructuarium pertinet, debeant intelligi, & restringi, quando illud, quod percipitur, renascitur; & sic est in fructu, aliàs non, cum verba, Quidquid inde percipi potest, quæ à Jureconsulto Celso, in dicta l. item si fundi, proferuntur, apposita sunt post illa verba, quicquid in fundo nascitur, denotent aperte, ultra id, quod renascitur, quicquid inde ex re percipi potest quocunque modo, ad usufructuarium pertinere: id enim omne, quod ex re, sive rei occasione percipi potest, fructus appellatione, saltem largè continebitur, ut statim dicam, & satis constat ex juribus superius adductis. Ad ea autem, quæ pro contraria parte considerat Barbosa, sciens consultoque satisfacere nolui, propterea quòd ad illa concludenter satisfieri potest ex his, quæ ad propositum eleganter scripsit Joannes Garfia de expensis, § meliorat. dicto c. 22. n. 47. § 48. & c. 23. n. 4. § 6. per totum.

18 Secundò constituendum est, Fructus nomine in hac materia, frequenter Jureconsultos intelligere, & fructuario in re fructuaria concedere id, quod non renascitur, si tamen in fructu sit; aut saltem Fructus nomine, etiam quantuncunque generaliter accepti, contineri possit. Id quod aperte colligitur ex dicta l. usufructu, §. dict. l. item si fundi, 10. l. nummularum, §. dict. l. usufructuarium venari, ff. de usufructu, cum aliis allegatis supra, n. 11. & optime advertit Joannes Garfia dicto cap. 23. n. 1. § 2. ante eum magistraliter docuerat Aretinus, quem ipse non retulit, in dict. l. divortio, §. si vir, col. 2. post principium. Quare nimis generaliter probavit Barbosa ibidem n. 36. non dici in fructu esse id, quod non renascitur, & consequenter neque ad maritum, neque ad fructuarium pertinere; multa enim non renascuntur quæ dicuntur esse in fructu, & fructuarii sunt. Verbum ergo Fructus in nostra materia latam recipit interpretationem pro omni commo, & utilitate, quæ ex re provenire possit, ut accipitur in juribus superius adductis & aliis referendis infra, cum de divisione fructuum tractabitur.

20 Tertio constituendum est, usufructuario in re fructuaria id concedendum, in quo propriè & strictè cadit nomen fructuum, aut saltem largè & generaliter cadere potest; ita ut quamvis nomen fructuum non conveniat propriè, saltem obventionum, proventuum, aut commoditatum nomen convenire possit; hæc enim omnia licet propriè non dicantur fructus, tamen à jure civili fructuum loco judicantur, & largè pro fructibus habentur: quod Modernus Paris. Guill. Benedictus, Paulus de Montepico, Florianus, & alii relati supra n. 12. ut certum supponunt, & tradunt; & expressè agnoscit Barbosa in dict. §. si vir, n. 38. ubi in effectu communem sententiam, quam damnavit, probat; dicit enim, dum præstat solutionem ad textum in dict. l. usufructu legato, ff. de usufructu, obventiones omnes ratione rei provenientes, ad fructuarium pertinere, quia cadunt sub nomine fructuum civilium: quod in effectu est idem, quod nos probamus, hoc est, prædicta propriè non esse in fructu, quia non renascuntur; largè tamen

jure ipso civili sub nomine Fructus contineri: idcirco omnia, & quæcunque commoda, & obventiones usufructuario debite sunt, quæ occasione rei fructuarie proveniant, dummodò in fructu, saltem generaliter, aut largè esse videantur; & ita cum Communi tenendum erit, & in praxi omninò observandum, & vide infra c. 37. n. 17. in fine, § 18.

22 Quarto & ultimò constituendum est, Gasparem Bac. 22. tum errore manifesto lapsum fuisse in hac materia, tractatu, de decima tutori præstanda, c. 25. n. 21. quem etiam improbavit eruditissimus Barbosa in dict. §. si vir, n. 4. ad finem. Nos tamen alià viâ, & fortius eum impugnandum suscipimus; asserit enim dict. n. 21. usufructuarium ita plenum jus habere, ut etiam petat ea, quæ fructus rei fructuarie non sunt, illisque utatur, & fruatur. In quo, ut dixi, decipitur manifestè, nam aut fructuarium petat ea, quæ ex re nascuntur; & tunc petat propriè fructus: aut petat ea, quæ ex re non renascuntur, ex ipsa tamen re, sive occasione illius proveniunt, & nunc petat etiam fructus; nam licet improprie fructus dicantur, qui ex re non renascuntur, largè tamen, aut civilis juris interpretatione, & modo, Fructus nomine veniunt, & sic fructuarii sunt.

23 Concludendo itaque in hac materia, dicimus verum esse, ad usufructuarium non pertinere id, quod in fructu non est; dicendum tamen in fructu esse, non solum, quòd ex re immediatè renascitur, aut percipitur, sed quicquid inde proventus, commodi, aut utilitatis est, sive occasione rei provenire potest: in quod iterum etiam incidere videtur Barbosa in dict. §. si vir, n. 38. 24. vers. non obstat secundum; ubi dicit sic intelligendum esse textum in dicta l. usufructu, §. 7. ff. de usufructu, ut non probet Jureconsultus ibi, simpliciter obventiones omnes pertinere ad usufructuarium, sed restringat se ad illas obventiones, quæ in fructu consistunt, vel occasione rei, loco fructuum subrogantur. Id quod nos firmamus, nec amplius dicimus; dumtaxat enim asserimus, non solum fructuarii esse id, quod in fructu propriè consistit, sed etiam quicquid inde occasione rei loco fructuum subrogatur, vel habetur. Quod rectè percipit Tiberius Decianus resp. 35. n. 52. vol. 2. ubi dixit, 25. quòd usufructus appellatio continet omnes, & univèrsas utilitates, & emolumenta, quæ quoquo modo, ordinariè, vel extraordinariè percipi possunt ex re, in qua debetur usufructus, & idem tenuit Caballinus milleloquio §. 1. parte. Et sentit aperte, atque novissimè Joannes Gutierrez de tutelis, §. curis, 3. parte c. 28. n. 2. & cap. 25. n. 6. 7. 8. § segg.

26 Ex his (quæ notanda sunt, nullibi enim sic tacta, aut resoluta sunt per aliquem) inferitur ad multa, quæ in re fructuaria usufructuario competunt, vel quia in fructu sunt, vel fructuum loco habentur. Et primò inferitur, posse usufructuarium in stagno, in quo usum fructum habet, piscari, piscæque occidere, dummodò alii in locum mortuorum substituuntur; dicuntur namque pars fundi, resque immobilis, pisces, qui in stagno sunt, ut multiplicentur & crescant, adeoque quamvis usufructuarium piscando, eis frui possit; eorum tamen piscium numerus conservandus est, ut post Cæpolum de servitutibus rusticorum, c. 42. n. 6. qui allegat textum in l. usufructuarium, §. in vivariis, ff. de usufructu; resolvit Molina de Hispanorum primogeniis, lib. 1. c. 22. n. 9. § 10. & vide Tiraquellum, de retractu Lignagier, §. 1. glossa 7. num. 116. Modernum in consuet. Parisien. tit. 1. §. 1. glossa 8. n. 17. § n. 20. & novissimè Joannem Gutierrez sic resolvit de tutelis, §. curis 27. 3. part. cap. 27. n. 25. § 26. ex quibus, & textu in dict. l. usufructuarium, §. in vivariis, apparet posse etiam in columbario usum fructum constitui, ut notavit ibi Florianus, & Vincentius Carocius de locato §. conducto, tit. de rebus, quæ usu consumuntur, quæst. 1. de columbario n. 2. fol. mibi 138. Et consequenter poterit fructuarium columbas capere, & occidere, ut multiplicentur, & crescant, dummodò aliæ in mortuorum locum

locum substituuntur, ut dicit Cæpola de servitutibus Urbanorum, c. 77. n. 2. Molina dict. cap. 22. n. 11. Ubi refert Modernum Paris. videndum dict. glossa 8. n. 33. § 34. & ultra eum idem resolvit Palacios Rubios in l. Tauri, n. 28. Similiter, quia venationes in fructu sunt, l. venationem, ff. de usuris, poterit usufructuarium in fundo, aut in vivario, in quo usum fructum habet, venari, aucupari, feræque aut aves occidere, neque à proprietario prohiberi potest, ne venetur, l. item si fundi, §. aucupiorum, l. usufructuarium venari, in princ. & in §. si in vivariis, ff. de usufructu, Chaffaneus in consuetudinibus Burgundie, rubrica 4. §. 17. dict. glossa. Et faire. num. 10. Franc. Marcus decis. 32. Baega de decima tutori præstanda, t. 24. n. 17. Alphonus de Azevedo in l. 7. tit. 8. n. 3. lib. 7. novæ collectionis Regiæ; dummodò post mortem fructuarii idem ferarum numerus maneat, qui tempore constituti, aut cepti usus fructus erat, ut ex communi tradit Molina dict. c. 22. n. 8. & novissimè Joannes Gutierrez de tutelis, §. curis, 3. part. dict. c. 27. n. 22. & clarè probat textus in dict. l. usufructuarium venari, ibi; commodissimè tamen (ne per singula animalia, facultatis fructuarii, propter discretionem difficilem, jus incertum sit) sufficit, eundem numerum per singula quæque genera ferarum, finito usufructu, domino proprietatis assignare, qui fuit cepti usufructus tempore.

29 Secundò inferitur, usufructuarium castri, jurisdictionalia exercere posse, & antiquas investituras renovare; id enim castri, vel jurisdictionis fructus est, & sic ad usufructuarium pertinere debet, ut rectè fundat, & latius probat Menochius, videndus omninò in cons. 66. per totum, lib. 1. & eadem ratione pertinere ad eum pœnas, condemnationes, multas, & emolumenta sigilli, & officiariorum, sive confiscentur bona mobilia, sive immobilia; prædicta enim, ut diximus, fructus jurisdictionis sunt, ut post Bartolum, & alios Antiquos defendunt eleganter Modernus in consuetud. Parisien. §. 1. glossa 1. n. 51. Guilliel. Bened. in cap. Rainuntius, de testamentis, verbo, cætera bona, n. 36. Chaffaneus in cons. 61. n. 14. Baega de decima tutori præstanda, c. 22. n. 15. Molina de Hispanorum primogeniis lib. 1. cap. 25. n. 22. § 23. & sic resolvit, latius tamen disputat D. Petrus de Barbosa in d. l. divortio, §. si vir, n. 41. 42. § 43. Quòd si sententia feratur finito usufructu, vel matrimonio soluto, multæ, pœnæ, condemnationes, & confiscationes bonorum, quæ imponuntur propter delicta commissa, durante usufructu, vel constante matrimonio, an pertinere debeant ad hæredes fructuarii, vel mariti, aut ipsum maritum, an verò ad proprietarium, aut uxorem, vel hæredes ejus, tractant plenè Modernus in consuet. Parisien. tit. 1. §. 7. glossa 2. col. ult. Guill. Benedictus dict. verbo, cætera bona, n. 38. Boerius decis. 5. n. 22. Chaffaneus in consuet. Burgundie, rubrica 4. §. 6. in fine. Baega de decima tutori præstanda, c. 28. n. 17. Mantica de conjecturis ultim. volunt. lib. 9. tit. 6. n. 16. versitem an multa. latissimè, atque eruditè Barbosa, ad quem in hoc me remitto; cæteris enim omnibus, Scribentibus plenius agit, in dict. §. si vir, ex n. 43. vers. juxta hæc utiliter queritur, usque ad n. 56.

33 Simiter pensiones pædagogiorum, & pascuorum dici esse in fructu; & sic ad fructuarium pertinere post Bartolum, Castrensem, Baldum, & Paulum de Montepico, tenet Menochius dicto cons. 66. n. 7. § 9. lib. 1. & videtur probare Mantica lib. 9. dict. tit. 9. n. 16. ubi post Baldum in l. 1. n. 2. C. de usufructu, advertit, quòd si testator emit, aut conduxit vectigalia; is, cui legatus est usufructus omnium bonorum, præstita satisfactione, habet etiam usum fructum ex redditu vectigalium, & refert Paulum de Montepico in §. Titia cum nuberet, l. Titia cum testamento, n. 92. ubi videtur sentire hæc esse in fructu, & consequenter pleno jure ad legatarium usufructus pertinere, quamvis n. 154. Baldi doctrinam simpliciter sequutus fuerit: quam etiam sequitur Afflictus ibi relatus, & simpliciter etiam videtur eam probare Joan. del Castillo Quotid. controv. Juris Tom. I.

Laurentius de Pinu, in cons. 40. n. 7. Achilles Pedrocha in cons. 7. n. 97. lib. 1. atque expressè Guill. Bened. dict. verbo, cætera bona, n. 31. ubi post Bertachinum ibi relatum, dicit, teneri fructuarium præstare cautionem de restituendo exactum finito usufructu: & vide nulla ad propositum, quæ adducit Baëtius de decima tutori præstanda, cap. 25. à n. 21. usque ad 28.

35 Tertio inferitur, usufructuario universitatis bonorum, cui jus patronatus annexum est, competere jus præsentandi, quod censetur fructus juris patronatus in fructuarium cum universitate translati, ut in specie adnotarunt Afflictus lib. 3. consue. rubrica 13. n. 3. Modernus in consuet. Parisien. §. 1. glossa 1. n. 3. & §. 37. glossa 10. n. 3. Molina qui refert Rochum de Curte, Lambertinum, & Celsum sic tenentes, de Hispanorum primogeniis lib. 1. c. 24. n. 3. Menochius dicto cons. 66. n. 5. lib. 1. Barbosa in dict. §. si vir, n. 67. vers. unde inferitur; & ultra eum, idem tenent plures, quos in unum congestit Petrus Cenedo collectan. 5. ad Decretales, n. 5. Gironda de Gabellis, 2. part. §. 2. n. 24. § novissimè Joannes Gutierrez de tutelis, §. curis, 3. part. c. 29. n. 6. Quod intelligendum est, nisi jus patronatus per se subsistat, neque universitati annexum sit, tunc enim absque Episcopi licentia, transire non potest in fructuarium, c. illud, de jure patronatus: unde nec præsentare poterit eo casu fructuarium. Cæterum si jus patronatus sit annexum cum universitate, sine licentia Episcopi transibit in eum c. ex literis, c. cum secundum, de jure patronatus: & consequenter jus præsentandi competet illi, ut post Modernum, declarat Barbosa dicto n. 57. in fine, dicens, idem observandum esse in marito, cui securè, atque concludenter probat, jus præsentandi competere, constante matrimonio, si mulier dederit in dotem villam, vel caltrum, cui erat annexum jus præsentandi: quod credo verissimum ex rationibus ibidem adductis, nec aliorum sententias probo, ex dictis ibidem ex n. 55. in fine, versiculo, his tamen explicatis, usque ad n. 59. & vide Joannem Gutierrez ubi supra dicto capite 29. per totum: collatio autem officiorum, & beneficiorum an computetur inter fructus, ut usufructuarium castri, vel villæ ea conferre possit, disputat ex proposito (ided amplius non insisto) Guillielmus Benedictus in quaestione, de thesauraria, per totam, quæ habetur post repetitionem c. Rainuntius, de testamentis folio mibi, 51. § 52. cui junge Felinum in c. ciam olim, ex n. 2. de majoritate § obedientia. Modernum in consuet. Parisien. §. 1. glossa 5. n. 57.

38 Quarto inferitur ad explicationem quaestionis, licet 38 vulgatæ, satis tamen apud Doctores controversæ, utrùm scilicet usufructu legato, veniat id, quod ex emulatione protocollorum percipitur, si forte is, qui usum fructum uxori, vel alteri legavit, Notarius fuerat: in qua quaestione Bartolus in dict. l. divortio, §. si vir, n. 39. 3. ff. soluto matrimonio, & in l. quadam, §. nihil, n. 6. ff. de edendo, & in cons. 50. in fine, expressè docuit, tale lucrum non pertinere ad mulierem, vel alium usufructuarium. Et deducit rationem ex illo textu: quia id quod semel perceptum, iterum non renascitur, non dicitur in fructu esse: sed redditus, aut emolumentum protocollorum, non reiteratur, cum ex protocollo unum tantum exemplum deduci possit, nec concedatur aliud, nisi ex magna causa; ergo ad usufructuarium pertinere non debet. Et Bartoli sententiam sequuntur Imola, & Corrasius in princ. col. 1. Aretinus col. 2. Jason n. 6. in dict. §. si vir. Boerius decis. 19. n. 5. & decis. 244. n. 4. & cum ea simpliciter transeunt Simon de Prætis de interpretatione ultim. volunt. lib. 4. dubitatione 10. num. 22. fol. 334. Achilles Pedrocha in cons. 7. n. 186. lib. 1. Vincentius Carocius de locato §. conducto, sexto gradu accidentium, q. 10. n. 48. fol. 233. & hanc partem constantè defendit, nec aliorum distinctiones admittit Petrus Barbosa in dict. §. si vir, n. 36. versicul. Ex qua conclusionem, § n. 37. 38. § 39. ubi & n. 40. opinionem Bartoli sic defensam, duobus modis explicat: ita ut

qui voluerit eam opinionem indistincte tueri, argumentis contrariae partis plenè satisfacere possit, ex adnotatis & resolutis *ibidem*.

41 Verùm contrariam partem; imò utilitatem, aut lucrum protocollorum pertinere ad usufructuarium, defendunt Paulus Castrensis n. 3. & Duarenus in princ. & in fine, in dict. §. si vir. Joannes Garfia, & Molina in locis relatis per Barbosam ubi supra, dict. n. 37. & ultra eum communiter approbati tãtantur Guilielmus Benedictus in c. Rainuntius, de testamentis, verbo, cætera bona, n. 27. vers. sed advertatis. Borgninus Cavalcanus, (qui nimis breviter scribit, nec perfectè agit de hac quæstione) de usufructu mulieri relicto, n. 88. Franciscus Marcus q. 856. 1. parte, Alphonfus de Azevedo in l. 3. §. 4. titul. 9. de las ganancias, n. 21. lib. 5. nove recopilacionis.

42 Baldus tandem pro concordia harum opinionum in l. divortio, §. si fundum, ad medium, ff. soluto matrimon. & in l. 1. n. 18. C. de fructibus & litium expensis, sic distinguit: quòd aut quæritur, utrum pecunia ex protocollis redacta ad usufructuarium pertinere debeat perpetuo, sive irrevocabiliter tanquam fructus; ita quòd mortuo eo, sive aliàs finito usufructu nulla pecunia reddatur hæredi: & hoc modo verum est, talem pecuniam usufructuario non deberi; & sic procedit opinio Bartoli: aut verò quæritur, utrum talis pecunia pertinere debeat ad usufructuarium omnium bonorum, quoad potestatem utendi & fruendi dumtaxat; & dicendum est, quòd sic, quemadmodum & quacunque alia pecunia hæreditaria uti & frui potest, l. 1. C. de usufructu, præfita cautione de tanta pecunia restituenda finito usufructu: & sic procedit Pauli Castrensis, & sequacium opinio. Et huic concordia subscripserunt Alexander, Vincentius, Jacobus, & Baëtius, quos retulit Barbofa in dicto §. si vir, num. 37. ad finem. & ultra eum, probarunt etiam Cavalcanus dicto num. 88. qui facit totum fundamentum in verbis generalibus legati usufructus omnium bonorum, quæ comprehendunt etiam pecunias, & bona quæ servando servari non possunt, sed usu consumuntur. Guillelmus Benedictus, ubi supra, dicto n. 27. versiculo, sed salvando, Michael Grassus receptarum, §. legatum, q. 31. Mantica de conjecturis ultimarum voluntatum, lib. 9. tit. 6. n. 15. Jacobus Menochius lib. 4. præsumptione 142. n. 15. qui etiam fundatur ex eo, quòd legatus fuerit usufructus omnium bonorum; & sic quemadmodum continentur protocolla, quæ inter mobilia connumerantur, ita & redditus, qui ex eis proveniunt, Fructus nomen etiam improprium obtinent, & contineri debent sub eo legato.

44 Quia ratione, & aliis adductis numeris præcedentibus (quatenus intelligebamus Fructus nomen propriè & strictè largè etiam & impropriè accipi) satisfieri potest rationi sive argumentationi Barbofae, in dicto §. si vir, n. 37. in fine; propter quam, ipse non probavit præfatam concordiam, quam tamen, si casus occurrat omninò servandam admonemus, & servandam dicit novissimè Joannes Gutierrez de tutelis §. curis; 3. parte, cap. 27. n. 40.

Quintò & ultimò infertur ad resolutionem quæstionis, laudemium scilicet, sive Quinquagesima cui debeat solvi, directo domino, an usufructuario, si emphyteutica res alienetur? Et vera resolutio ex præcedentibus petenda videtur; diximus enim, omne emolumentum rei, & quicquid generaliter percipi potest ex re, ad usufructuarium pertinere: unde in terminis, quòd commodum laudemii pertinere debeat ad usufructuarium, quia fructus est ex re ipsa, seu propter rem proveniens, & aliis quinque rationibus concludit Oldradus in cons. 24. Joannes Andreas in additione ad Speculatorem, vers. 92. in fine. Albericus in rubrica, C. de usufructu, questione 1. Alexander in dicta l. divortio, §. si vir, n. 8. in fine, Jason in l. ultima n. 45. C. de jure emphyteutico, & communem omnium sententiam testantur Guillelmus Benedictus in c. Rainuntius, de testamentis, verbo, cætera bona, n. 32. Socinus junior in cons. 70. n. 31. lib. 3.

Tiraquellus de retractu Lignagiar, in fine tituli, n. 106. Alciatus responso 668. Chalfaneus in consuet. Burgundia, rubrica 4. §. 6. n. 3. fol. 154. Bellonus in cons. 6. n. 17. Julius Clarus lib. 4. §. emphyteusis, q. 23. n. 5. Menochius in cons. 66. n. 36. lib. 1. Laurentius de Pinu in cons. 40. n. 4. Girona de Gabellis, 2. parte, §. 2. n. 23. fol. 50. Petrus Costalius, adversar. juris, parte 2. ad l. usufructu legato, ff. de usufructu: & nullo ex his relato, Amadeus à Ponte q. 20. in principio laudimialium quæstionum; ubi, §. quæst. 24. rectè fundat in tali alienatione, utriusque proprietarii scilicet, & usufructuarii consensum requiri; commodum tamen laudemii ad usufructuarium spectare, diversum jus est, cum res censualis emphyteutica, aut feudalis cadit in commissum, ut quia vasallus abnegavit dominium, & convictus fuit, aut censuarius contra dispositionem juris, seu conditionem contractus, tempore debito non solvit, vel alia ratione res debuit in commissum cadere: utilitas enim talis commissi non queritur usufructuario, sed pertinet ad proprietarium. Quod ita decidit Oldradus in cons. 240. & sequuntur plures relati per Tiraquellum ubi supra, n. 110. Guill. Bened. dicto verbo, cætera bona, n. 23. in fine. Jason in l. finali, n. 45. C. de jure emphyteutico. Moderni. Paris. (qui tractatu & explanatione hujus rei cæteros omnes antecellit, & plenè scribit) in consuet. Parisien. titul. 1. §. 1. gloss. 1. n. 37. §. 38. §. n. 40. rectè improbat Tiraquelli distinctionem in hac quæstione: postmodum verò n. 45. generaliter constituit, res quæ cadunt in commissum proprietario cedere; usufructuarium tamen habiturum usufructum rei commissæ, quamdiu duraverit usufructus: quod ex aliis resolvit etiam Amadeus à Ponte dicta quæst. 20. in princip. Denique ad ea, quæ pro usufructuario adduci poterant in quæstione præcedenti, eruditè & verè respondet ipse Modernus dicto n. 38. versiculo, non obstant; & superioris resolutionis concludentem rationem assignat, quam etiam considerat, sed non refert eum Barbofa in dicta l. divortio §. si vir, n. 42. in fine, versiculo, neque prædictæ resolutioni obstat, & n. 43. & novissimè sic non explicans, nec superiores referens, tradit Joannes Gutierrez de tutelis, §. curis, 3. parte, c. 30. n. 12. fol. 673.

Quoad quartum verò & ultimum, utrum vera sit divisio fructuum, quæ à Doctoribus constituitur; primò observandum est, fructuum divisiones plures, & species consideratas à Doctoribus in variis locis, ut post alios plures adnotarunt, & nonnullas adducunt Pinellus 2. parte l. 2. C. de rescindenda venditione, cap. 4. n. 52. per totum, Menochius recuperanda possessionis remedio 15. n. 577. & de arbitrariis, lib. 2. Centuria 3. casu 210. per totum, Joannes Garfia de expensis, §. meliorationibus, c. 23. n. 7. in principio, & ante finem versiculo, ex quibus cessant, & alii referendi infra, n. 55.

Secundò observandum est, Doctores magis communiter constituisse, fructus alios esse Naturales, alios Industriales, & alios Civiles: sic scripsit Bartolus in l. §. ex diverso, in principio, ff. de rei vindicatione, & alii plures, quos referunt Pinellus, Menochius, & Joannes Garfia ubi supra, Baëza de decima tutori præstanda, c. 22. n. 3. Antonius Pichardus, qui transit cum Communi in §. si quis à non domino, n. 7. Institut. de rerum divisione, & esse fructus Civiles agnoscit expressè, licet de hac re ex proposito non agat Barbofa in dicta l. divortio, §. si vir, n. 38. in fine. Dicuntur autem fructus Naturales, quos natura, nihil, aut parum operante hominis industria, aut operà producit, l. fructus percipiendi, ff. de usuris, l. bone fidei emptor, ff. de acquirendo rerum dominio, quales sunt poma, glandes, herba, fenum, mala persica, nux, cerasum, & alia ejusdem generis. Fructus Industriales sunt, quos hominis industria, sive opera, & labor, cooperante tamen natura, producit: vel, ut inquit Menochius dicto casu 210. n. 5. quos natura producere non potest, nisi hominis labor, & opera antecedit, per textum in dict. l. fructus, ff. de usuris,

usufructu, l. si ejus, ff. de rei vindicatione: quales sunt fructus, sata, vinum, oleum, & alia similia. Civiles verò fructus nuncupantur, qui à jure ipso proveniunt, sive hominum provisione jure civili introducta quærentur, ut usurae, pensiones, mercedes, & vecturæ navium, l. si navis, ff. de rei vindicatione, l. usura, l. fructus, ff. de usuris, l. cum de donatione, ff. de donationibus.

54 Tertiò & ultimò constituendum est, præfatam divisionem à pluribus confutatam fuisse; enimverò quamplurimi existimant, fructuum species duas dumtaxat esse, alii dicuntur Naturales, alii Industriales, & civilium fructuum denominatio commentitia sit: sic observat glossa in dict. l. §. ex diverso, & in dict. §. si quis à non domino, & in c. gravis, de restitutione spoliatorum, & constanter defendunt Menochius dict. casu 210. n. 29. qui mutatà sententiã, quam cum Communi probavit dicto remedio 15. n. 577. dicit veram non esse hanc denominationem fructuum civilium, & nullo jure probatam. Franciscus Hotmannus in commentariis verbor. juris, verbo, fructus, el. 3. fol. mibi 682. Joannes Copus tractatu, de fructibus tit. 2. cap. 3. n. 2. ubi affirmat fructus Naturales, & Industriales, & inter naturales, & eos, quos humana cura producit, speciem mediam non esse. Loricus de fructibus, axiomate 16. Franciscus Connanus commentariariorum juris civilis, lib. 4. cap. 1. n. 2. ibi: Quibus verbis tam naturales, &c. & iterum paulo post. Franciscus Duarenus ad titulum de usuris, c. de divis. fructuum, Minsingerus, & Niciasius uterque n. 7. in dict. §. si quis à non domino. Covar. variarum lib. 1. cap. 3. n. 6. Pinellus 2. parte l. 2. C. de rescindenda venditione, cap. 4. n. 52. Joannes Vincentius Hondedei in cons. 91. n. 60. vol. 1. Alexander Raudensis de Analogis, lib. 1. cap. 6. n. 11.

55 Ego verò, ut in prædicta contrarietate meam sententiam interponam, nonnullos casus distinguendos esse existimo, quibus res ista distinctè magis, quam hæcenus enucleari, & declarari poterit.

57 Primò igitur constituo, fructuum omnium in Mundi exordio speciem unam tantum fuisse, hoc est, à prima illa mundi origine non plures, sed unam, atque eandem omnium fructuum speciem fuisse: omnes enim fructus ab ipso summo rerum omnium Opifice Deo, solòque ejus verbo, sine cultura cujusque, aut cura, sed sua sponte, & nullo cogente nascebantur, ut constat Genesis 1. §. 2. cap. & latius probat Joannes Copus tractatu de fructibus, dicto tit. 2. cap. 1. ubi cap. 2. eleganter explicat, quo tempore cœperint fructus curâ hominum, & cultura provenire.

59 Secundò constituo, fructuum naturalium denominationem verissimam esse, communi omnium Scribentium consensu receptam, & ipsorum Jureconsultorum responsis probatam. Quod ex dict. l. fructus, ff. de usuris, l. bone fidei emptor, ff. de acquirendo rerum dominio, constat apertè, atque ut indubitatum affirmat Menochius dict. casu 200. in princ. ubi refert glossam, & Doctores sic tenentes in dict. c. gravis, de restitutione spoliatorum, glossam, Bartolum, & Doctores communiter in dict. l. §. ex diverso, ff. de rei vindicatione, Modernum Par. Joannem Copum, Corrasium, Baconium, & Covarruv. & ultra eum, idem tenent Minsingerus, Balduinus, Niciasius & Pichardus in dict. §. si quis à non domino, n. 7. Connanus, Duarenus, Pinellus, Alexander Raudensis, Joannes Vincentius Hondedei, & alii relati supra n. 55. Baëtius de decima tutori præstanda, cap. 22. n. 3. Joannes Garfia de expensis, §. meliorat. c. 23. n. 7. in princ. vers. quod attinet ad Jureconsultos, Barbofa in dict. §. si vir, n. 38. qui, ut antea dixi, non agit ex proposito de hac re, sed inter alia, horum fructuum naturalium mentionem facit.

60 Tertiò constituo, fructuum Industrialium denominationem verissimam etiam esse, atque omninò admittendam, utpotè, cum ea non obscure apertè potius probata sit in dict. l. fructus, ff. de usuris. Quam rectè expendunt Menochius dict. casu 210. n. 4. §. 5. & eum

non referens Joannes Garfia d. c. 23. n. 7. in princ. d. vers. quod attinet; & ita probantur Authores superius præcitati, & de jure Regio id probari videtur in l. 39. tit. 28. partit. 3. ubi expressè sit mentio, & distinctio Naturalium fructuum & Industrialium; & ita tenendum est, quidquid contrarium tentaverit Joannes Corrasius Miscellan. juris, lib. 3. cap. 9. cujus præposteram subtilitatem rectè arguit Pinellus dict. 2. parte l. 2. C. de rescindenda venditione, c. 4. n. 52. ad medium, & illius fundamentis optimè satisfacit Menochius de casu 210. ex n. 6. usque ad n. 19. qui de hac re omninò videndus est, & ultra illum Alexander Raudensis de Analogis, lib. 1. cap. 6. n. 11. novè intendit Corrasii & Menochii contentionem conciliare in hunc modum: Quod vox Fructus naturalis, analogia est, quia per prius denotat eos fructus, quos natura, parum, aut nihil cooperante hominis operâ, producit: per posterius verò significavit eos, in quibus opera & industria hominis necessaria est, ut in frumento, & similibus, & sic loquitur textus in l. in pecudum. §. ult. ff. de usuris, & in §. in pecudum: Institut. de rerum divis. dum dicit, naturam, causâ hominis, fructus omnes comparasse: nam potest intelligi de natura per prius, & de natura per posterius, ut latius ibi declaratur.

Quartò constituo, fructuum Civilium denominationem commentitiam esse, nec jure probatam, quidquid aliter condendat Communis, ut constat ex relatis supra n. 51. & cum ea Joannes Garfia d. c. 23. n. 7. Verius itaque est, fructuum civilium nomen non esse, quia Fructus nomen eos propriè complectitur, qui ex re ipsa nascuntur, ut probavimus in initio hujus capit. n. 4. §. 6. & tenet novissimè Joannes Gutierrez de tutelis, §. curis, 3. parte cap. 23. n. 5. §. 6. & ideò fructus ab usuris, pensionibus, mercedibus, & vecturis, cæterisque obventionibus separantur in l. ancillarum, vers. sed & pensionis, ff. de petitione hæreditatis. l. usura, ff. de usuris, l. lapud Julianum, §. fructus ff. de legatis 1. l. cum de donatione, ff. de donationibus: hæc enim omnia, non fructus, sed vicem fructuum habere dicuntur, ex textu in d. l. usura, l. qui his verbis, ff. de legatis 3. Quod sic defendunt multi, quos retulimus supra n. 55. & in terminis sic declarat prædicta jura Franc. Hotmannus in commentariis verbor. juris, verbo, fructus el. 2. fol. mibi 682.

Quintò constituo, Fructus nomen in jure nostro, ut dicebam supra n. 7. frequenter accipi non propriè & strictè tantum, sed largè etiam, ut in genere pro omni commodo, & utilitate rei, ut in l. fructus, ff. de regulis juris, l. loci corpus, §. 1. ff. si servitus vindicetur, l. ult. ff. de usuris: idcirco usurae, mercedes, pensiones, vecturæ navium, & similia, aliquando appellantur fructus, l. in venditione. §. si quis fructus, ff. de bonis authoritate judicis possidendis, l. qui quadringenta, §. qui ducenta, ff. ad leg. falcidiam, l. unica, cum autem, C. de rei uxoria actione: quod rectè assequutus est Jacobus Mandellus de Alba, quem nullus hucusque retulit in hac materia, in cons. 127. n. 13. §. 15. ubi dicit, quòd Fructus, & Pensio, sunt vocabula æquivoca, & variis modis sumuntur, & appellatio fructuum comprehendit aliquando quemlibet redditum etiam si sit merè civilis, ut est redditus navis, & ut sunt pensiones urbanorum prædiorum; propriè tamen Fructus vocabulum ad fructus naturales, & industriales refertur, & repetit iterum in cons. 619. n. 3. Quamvis igitur propriè fructus non sint ea, quæ à Doctoribus appellari solent fructus civiles, cum non à re, sed à jure fuerint inducta; poterunt tamen fructus nuncupari, civilis juris interpretatione, & modo, cum ipso jure fructuum loco habeantur, aut pro fructibus accipiantur ex juribus superius adductis: & sic poterit prædicta Doctorum contrarietas conciliari, quæ revera in eo tantum consistit, quòd non debeant fructus vocari, quæ à jure civili non simpliciter fructus appellantur, sed fructuum vice sunt, aut pro fructibus reputantur. Id quod rectè etiam agnovisse videtur Jacobus Mandellus de Alba in cons. 441. n. 12. ubi dicit, pen-